

quod à nonnullis vocatur succinum pterygophoron, ideo dictum quod pennas ad se alliciat. Id potum ex aqua, stomacho aluoque fluxione laboranti conuenit.

De Melle. CAP. CI.

PRINCIPLEM locum obtinet mel Atticum, quod ab Atticæ regionis monte Hymetto, in quo prouenit, Hymettium appellatur: mox quod è Cycladibus insulis petitur: itemque quod è Sicilia, cognomine Hyblaeum. Magis probatur dulcius & acre, odoratus, subflavum, minimè liquidum, sed glutinosum ac tenax, quodque dum trahitur [ob sequacem lentitatem] in digitos veluti resilit. Porro abstergendi vim habet, ora valorum aperit, humores euocat: qua ratione in sordida ulcera sinuisque commode infunditur. Decoctum atque impositum, disiunctas diuulsive partes agglutinat: lichenibus quoque medetur, coctum cum liquido alumine & illitum. Itemque aurum soniti & dolori cum sale fossili trito tepidum instillatur: pediculos ac lentes illitum enecat: verpis seu curtis glandem quæ citra circumcisio[n]em nudata sit in integrum restituit, si melle præputium à balneo potissimum ad dies triginta emolliatur: depurgat quæ pupillis tenebras offundunt: gutturis etiam ac tonsillarum inflammationibus & anginis

& anginis medetur, seu illitum, seu etiam
gargarizatum. Vrinas quoque ciet, tussique
auxiliatur, & iis quos serpentes momorde-
rint, itemque contra haustum meconium, si
cum rosaceo calidum assumatur. Quin &
contra fungorum maleficia & rabiosi canis
morsus delinictum potumve proficit. Atta-
men crudum, aluum infat & tussim irritat:
qua de causa despumato vtendum est. Cæte-
rū primas tenet vernum, deinde æstiuum.
Hybernum vero, quippe quod sit crassius,
deterius censetur, papulisque cutem ex-
asperat.

De Melle Sardo. CAP. CII.

Quod in Sardinia gignitur mel, amarum
est: quoniam apes inibi absinthio vescantur.
Tum à Solis ardore contractis, tum & aliis
faciei maculis conuenienter illinitur.

De Melle Pontico. CAP. CIII.

Heracleę in Ponto quibusdam anni tem-
poribus ex propria quorundam florū vi-
mel conflatur, quod quidem eos qui edere
de mentis statu dimouet, cum sudoris co-
piosi profusione. Sed iuuantur, si rutam &
salsamenta esitarint, mulsumque ebiberint,
eademque toties resumperint, quoties vo-
mitione rejicientur. Acre autem est, & olfa-
ctu sternutamenta mouet. Cum costo illi-
tum, maculas à sole contractas emendat: at

N. ij.

cum sale, fugillata tollit.

De Saccharo. CAP. CIIII.

EST & quoddam mellis concreti genus, quod saccharum nominatur, quo dque in India & fœlici Arabia in arundinibus reperitur, consistentia sali simile, ac dentibus retiam salis modo fragile. Est illud alio idoneum & stomacho vtile, si aqua dilutum bibatur: vexatae vero vesicæ tenib[us]que auxiliatur: quin & illitum, ea discutit quæ pullis tenebras offundunt.

De Cera. CAP. CV.

CERA optima est subfulua, subpinguis, odorata & halitum quadantenus melicum referens, insuperque pura, & natione Pontica aut Cretica. Secundum locum obtinet, exalbida & suapte natura pinguis. Candida vero redditur hoc modo: In eo genere quæ candidior puriorque fuerit, concisam in ollam nouam transfundito, & confusa quanta satis sit aqua marina ex alto petita coquito, insperso etiamnum nitriamento. Cumque iterum tertiove efferuerit, remota olla refrigerari finito. Tum vero ceræ pastillum exmito, deraſaque sorde si qua forte adhæsit, alia addita aqua marina, secundò coquito: cumque cera denuo, ut demonstratum est, inferbuerit, vas ab igne summoueto, ac nouæ ollulæ fundum prius frigida

frigida madefactum leniter in ceram de-
mittito, paululum duntaxat suspensa manu
intingens, vt ipsius quam minimum detra-
hatur, quò faciliùs per se concrescat. Subla-
to fundo orbiculum primum aufero, ite-
rūmque vasis imum aqua refrigeratum in
ceram immittitò, idē inque tantisper facito,
dum ceram totam excepis. Tandem filo
lineo traiectos orbiculos ita suspendito, vt
ne inter se contingant, ac interdiu quidem
ipsos assiduè ad solem irrorato, noctu verò
Lunæ exponito, dum perfectè albescant.
Quòd si ceram candidissimam fieri volue-
ris, identidem eam recoquito: cætera verò
omnia eodem modo peragito. Nec desunt
qui, pro marina ex alto petita, in muria a-
cerrima semel aut iterum antedicto modo
decoquunt: deinde laguncula tenui ac ro-
tunda ansam habente eximunt, poste à or-
biculos super densa herba dispositos iaso-
lant, donec candidissima euaserit. Præci-
piunt verò munus id vere obeundum, quā-
do sol remissa vehementia humidum ro-
rem subministrat, vt ne videlicet cera lique-
scat. Porrò vim habet cera omnis ex calfa-
ciendi, emolliendi, ac ylcera mediocriter
explendi. Additur etiam in soibitiones dys-
entericis: ac eius deglutita milij magnitu-
tudine grana decem lac in nutricibus in ca-

N. iii.

seum cogi densarive prohibent.

De Propoli. CAP. CVI.

Propolis usurpanda flava, odorata, styram referens, in summa ariditate mollis, & mastiches modo ductilis. Vim autem obtinet vehementer excalfaciendi, attrahendi, & aculeos quoque corpori infixos extrahendi. Sed & in vetere tussi suffita auxiliatur, & lichenas imposita tollit. Ceterum circa aluearium oscula reperitur, ceræ natura similis.

De Tritico. CAP. CVII.

OPTIMA è Tritici generibus ad secundum valetudinis usum habentur, quæ recentia & perfectè adulta colorem luteum referunt: hæc sequuntur trimestria, quæ nonnullis sitania nominantur. Itaque cruda illa in cibo sumpta, teretes lumbriicos ingnunt: commanducata verò & imposta, commorsis à rabiōso cane auxiliatur. Confectus eorum similagine panis, pleniūs alit quam cibarius: qui verò fit è trimestrium farina, leuius alimentum præstat, facileque in membra digeritur. Farina eorum cum hyoscyami succo cataplasmati instar impunitur aduersus neruorum fluxiones & intestinorum inflationes: lentigines autem ex aceto mulso tollit. Furfures in acri aceto decocti & calentes adhibiti, lepras remouēt, suntque

Suntque contra omnem incipiētem inflam-
mationem vtile & accommodatum cata-
plasma. Cocti verò cum ruta decocto, luxu-
riantes turgentēsve mammas compescunt,
& morsis à vipera terminosissime cōueniunt.
Farinaceum fermentum, calfaciendi extra-
hendique vi præditum, priuatim callos in
plantis pedum extenuat, & tum alia tuber-
cula, tum etiam furunculos ex sale maturat
atque aperit. Porrò è sitanio tritico farina,
contra venenatorum ictus ex aceto aut vi-
no commodè imponitur. In glutini verò
modum decocta si delingatur, sanguinem
reicentibus opitulatur. Contra tuſſū & e-
xasperatani aitriam cum menta & butyro
decocta efficax est. Ipsius autem tritici pol-
len si ex aqua mulsa aut hydrello decoqua-
tur, omnem discutit inflammationem. Sed
& panis tum crudus, tum etiam coctus ex
aqua mulsa impositus, inflammationem o-
mnem demulcet: quippe qui plurimum e-
molliat & quadantenus refrigeret, maximè
verò si herbis succise quibundam ad id ac-
commodatis ammisceatur. Vetus autem pa-
nis & aridus tum per se, tum quibusdam ad-
mixtus, alui profluvia fistit. Recens verò
muria maceratus & impositus, lichenas in-
ueteratos sanat. At gluten quod è similagi-
ne aut polline conficitur ad glutinandos

N. iiij.

libros, sanguinem reiicientibus prodest, i
liquidius ac tepidum cochlearis mensula
sorbendum exhibeatur.

De Hordeo. CAP. CVIII.

HORDEVM optimum est candidum &
purum, sed minus quam triticum alit:
ptissima tamen ob cremorem que inter:
quendum reddit, plus alimenti praebet, quam
polenta ex eodem hordeo facta. Est autem
illa efficax contra acrimonias atque arteriae
asperitates & exulcerationes: ad quas itidem
conuenit triticea ptissima, que quidem &
plus alit & potentius vrinas mouet. Lactis
vero vertatem praestat, si cum foeniculi se-
mine decocta sorbeatur. Vrinam porrò ciet
hordeum, absterget, flatulentum est, stoma-
cho aduersatur, & cedemata concoquit ac
maturat. At vero ipsius farina cum sicibus
& aqua multa decocta, cedemata & inflam-
mationes discutit: quin & duritias conco-
quit cum pice, resina & fimo columbino.
Cum meliloto vero & papaveris calycibus,
iis dolorem eripit qui ex latere dolent: ad-
uersus intestinorum inflationes, cum lini
semine, foenograeo & ruta imponitur. Stru-
mas cum pice liquida, cera, impubis pueri
vrina & oleo ad concoctionem perducit: &
cum myrto aut vino, aut pyris sylvestribus,
aut rubo, aut malicorio, alui profluua sistit:

podagricis

podagrīcīs inflammationībus cum cylonio
malo aut aceto prodest. Decocta in acri a-
ceto malagmatīs in modū quod ex ea-
dem hydrelao subacta conficitur, & calens
apposita, lepris medetur. Farinā verò cre-
mor ex aqua cum pice & oleo decoctus, pu-
ri mouendo accommodatus est. Ille idem
ex aceto elicitus si cum pice coquatur, con-
tra fluxiones articulorum prodest. Cæterū
hordeacea polenta cohībet aluum, inflam-
mationēsque mitigat.

De Zytho. CAP. CIX.

Ex hordeo Zythum paratur, quod qui-
dem vrinas eit, renes ac ueruos tentat, sed
meningas potissimum offendit: inflationem
parit, vitiosumque succum creat, & elephā-
tiasin inducit. Ipso verò maceratum ebur,
obsequiolum & operi tractabile redditur.

De Curmis. CAP. CX.

Fit & ex hordeo potus, quem Curmi no-
minant, eoque sè penumero pro vino utun-
tur. Verùm dolorem capitis infert, prauim-
que succum gignit, ac ueruos lœdit. Parant
ur & similia potus genera ex tritico, quem
admodum in Iberia Occidentali & Bri-
tannia.

De Zea. CAP. CXI.

ZEA duorum est generum: una quidem
simplex est, altera à binis granis dico-